Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 563
Quelle:
Copyright:

imperator focha bonifacio pape quod ecclesia Romana sit caput omnium ecclesiarum. Commentum inde ortum, quod *Phocas* jusserit *Thomam* Patriarcham *CPolitanum* Titulo *Oecumenici* abstinere. *Anno domini 1220. ordo Carmelitarum instituitur. Anno domini 1253. ordo fratrum de penitentia martirum confirmatur.* De Ordine hoc alias *Cyriacorum* dicto, inter Canonicos Regulares relato et *Pragae* Ecclesiam S. Crucis tenente, nunc vero abolito lectu digna traduntur a *J. Flor. Hammerschmid* in *Prodr. Gloriae Prag.* C. V. p. 202. Atque haec ejus memoria *Codicem* in *Bohemia* scriptum probat. Ut etiam Metrica non dissimulem, en Specimen:

Dic homo quid speres cum mundo totus inheres.
Tecum nulla feres, licet omnia solus haberes. &c.
Res dare pro rebus pro verbis verba solemus.
Pro variis verbis montanis vtimur herbis.
Pro caris rebus pingmentis et speciebus.

Non transeundus demum *Catalogus* Ducum et Regum *Bohemiae*, Episcoporumque et Archiepp. *Pragensium*, quorum prior satis exactus ad Cl. *Pelzelii Hist.* vernaculam in Chronologiam tamen quandoque peccat. Ita: *Borziwoy qui baptisatur a Metudio anno d.* 994. Addam et alia. *Boleslaus* III. adpellatur hic *mitis. Wladiboy de quo nil boni legitur. Wladislai* II. coronatio adfigitur anno 1149. *Wenceslao* I. additur *Monoculus. Ottocarus* coronatus dicitur a. 1260. In *Wenceslao Caroli* filio sistitur. Elenchus sacer parum abit a *Balbiniano Miscell.* L. VI. P. 2. p. 34. *Dietmarus* tamen primus Episcopus constitutus dicitur a. 969. *Adalberti* Martyrium tribuitur anno 1007. *Budislaus* dicitur *Budilow. Johanni* III. additur ἐπιθετον *Largi. Gregorius predicauit in Ecclesia pragen. vsque mortem. Johannes* pro *Gensteinio* hic audit *Swalik.* De ultimis duobus legas: *Sbynko dictus Zagicz sub quo orta est lis in clero grauis contra Magistrum J. Hus. Albicus phisicus Anno domini* 1412. *certe in die sancti spiritus coronatur et presedit usque ad diuisionem apostolorum et fit archiepiscopus cesariensis. Balbinus* resignationem ejus in an. 1413. protrahit, de diebus nihil. *Lupacius* diem 17. *Julii* notat, annum variare adserens.

VI. *fol.* 95. *Excerpta de Historia tripartita. Epiphanii* scilicet, aut, si mavis, *Cassiodori.* Ad narrationem de *Theodosio* Imp. et *Ambrosio Mediol.* diligenter minio in margine notatum: *Communio sub vtraque specie.*

VII. *fol.* 123. absque titulo Rudimenta Commentarii in *Genesin* praelectionibus scholasticis, ut videtur, destinati, qui incipit: *In principio creauit deus celum et terram. S. Gregorius Omel.* 35.

Tempo-